Nec cum idcirco utatur praecipuus
orator homines bestiis differamus
quod loqui possumus quae laude dig (illa)
nus est qui in ea re ceteros superat
in qua homines bestias antecellunt.
Accingere igitur et mihi quae
subiecta sunt disserere, servans
utrobique moderamen: ut nec proposita
solutionem desiderent nec epistulae
brevitatem. Fateor quippe tibi
eos quos mihi iam pridem Lactantii
dederas libros ideo non libenter
lego quia et plurimae epistulae
eius usque ad mille spatia versuum
tenduntur et raro de nostro
dogmate disputat, quo fit ut
et legenti fastidium generet lon
gitudo et si qua brevia sunt scolas
ticis magis sint apta quam no
bis de metris et regionum situ et
philosophis disputantes. Quid sibi
vult quod in genesi scriptum est,
Omnis qui occiderit cain septem
vindictas exsolvet, si omnia deus
fecit bona valde. Quare ad
noe de mundis et inmundis ani
malibus praecepit, cum inmun
dum nihil esse bonum possit.
Et in novo testamento post
visionem quae petro fuerat
ostensa dicenti absit domine quoniam
commune et inmundum num
quam introivit in os meum,
vox de caelo respondit; quod
deus mundavit tu commune
ne dixeris. Cur deus loquitur
ad abraham quod quarta proge
nie filii israhel essent de egypto
reversuri et postea moyses
scribit, quinta autem progenie
exierunt filii israhel de terra
egypti, quod utique nisi expo
natur videtur esse contrarium.
Cur abraham fidei suae
signum in circumcisione suscepit.
Cur isaac vir iustus et deo
carus non illi quem voluit
sed cui noluit deceptus errore
benedixit.

EXPLICIT PAPAE DAMASI
AD HIERONIMUM.

Damasus hieronimo

Dilectissimo filio hieronimo damasus
episcopus in domino salutem. Commentaria cum legerem
greco latinoque sermone in evangeliorum
interpretatione a nostris id est ortodoxis
viris olim ac nuper scripta de eo quod
legitur osanna filio david non solum
diversa sed etiam contraria

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BLB Badische Landes-Bibliothek
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Badische Landesbibliothek
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/blb_augperg105/0095